

jiciens ulteriorem indaginem eorum quæ magis recondita sunt dicam cum Philosopho morali, ~~totam~~ rerum naturam umbram esse aut inanem aut fallacem, neq; me irasci illis qui nihil nos scire volunt, neque illis qui me hoc quidem nobis relinquunt. Tu interim amice, quem diutius amare me vellem, ut diu valeas cura.

Genuæ, Decembris 5. 1703.

II. Gulielmi Cockburni M. D. Solutio Problematis de Purgantium & Emeticorum Medicamentorum Dosis determinandis in quacunque Hominis Ætate, Temperamento, Temperamenti varietate per universum Terrarum orbem, ab ipso mense Martio proxime elapso, in Actis Philosophicis propositi. Et Illustri additum Doctoique D. Edwardo Southwell, Annæ Regiae a Secretis Hibernicis, &c. consecrata.

Quo rectius diversas emeticorum & purgantium Medicamentorum Doses, pro Temperamentorum & Ætatum varietate, decernamus. Supponendum est, Primo, istiusmodi Medicamenta nihil prius posse operari quam in Sanguinis massam appulerint, & eidem penitus immisceantur: Constat enim, ni Nauseam moveant, nullum ab iis effectum sensibilem produci multo post tempore quo in eandem devehit possint. Secundo, generaliorem eorum effectum esse temperamenti sanguinei aliorumque Liquorum gyrationem Alterationem.

Ex hisce duobus Postulatis concludimus, quod ubi Sanguinis Crasis est eadem Medicamentorum Doses, ad certum aliquem elicendurn effectum, sanguinis Quantitati proportionales.

A a a a a a a a a a a a

n a l e s .

nales esse: Si namque certa quædam Dosis exigatur ad unius Libræ sanguinis v. gr. Cras in alterandam ad certum aliquem gradum, duplicum oportebit Dosis adhibere ut Libræ duæ ad eundem gradum alterentur, triplam ut tres, &c. Et universaliter si sanguinis Quantitas b exigat Dosis d , quantitas sanguinis mb Dosis md exiget, & est $b : d :: mb : md$.

Coroll. Quum Quantitas sanguinis & cæterorum humorum in gyrum actorum rite, ex Animalis pondere, possit æstimari (partes enim quas solidas nuncupamus sunt tantum Canales qui liquores istos continent) exinde sequitur Dosis quantitates, cæteris paribus, esse corporis ponderi proportionales; adeoq; Medicamentorum Dosis Infanti, recens nato, propinrandam esse ad eorundem dosin provectionis ætatis Hominibus ut est Infantis pondus ad Hominis. Exempli causâ, pilularum Rudii gr. xxx unicâ plerumq; dose Homini exhibentur, & Hominum Pondus commune est 160 Librarum, & Infantum Librarum 12; quapropter, ut sunt 160 Hominum Pondus ad 12 Infantum, ita sunt gr. xxx Hominum dosis ad gr. $\frac{2}{3}$ quæ sunt Infantum; ac semper in eadem ratione Medicamentorum doses augendæ veniunt ut crescit Infans; deinceps doses exhibendæ manent cædem ad annum quinquagesimum, ex quo tempore sanguinis quantitas & vis quotidie minuuntur, quâ quoque ratione minuendæ sunt Medicamentorum Doses.

Hâc ratiocinandi methodo, Homines omnes eodem gaudere Temperamento simul & Augmentum Ordinemq; secretionum, ad annorum numerum, esse æqualem supposuimus; id enim vult simplicior meditandi modus: Quum verò hominum Temperamenta, seu Constitutiones, sint diversissimæ pro variâ sanguinis humorumq; gyratione Crase, Dosis quantitates non semper proportionantur corporis ponderi. Diversum id sanguinis temperamentum in certâ quadam partium ejusdem cohærendi dispositione consistit, quâ sanguis magis vel minus fluidus evadit; unde provenit quod medicamentorum in sanguinem Operationes fiant diversæ pro variis Cohærentiæ gradibus. Ponamus enim homines duos

duos æquali sanguinis quantitate pollentes, cuius Cohærentiæ gradus sint diversi; manifestum est, medicamenta ista faciliter laxioris texturæ sanguini admisceri quam firmius cohærenti, commiscendiq; Proclivitas quam habent medicamentorum partes particulis sanguinis est semper ut Fluiditas directe vel reciproce ut est sanguinis Tenacitas, & medicamenti in sanguinem vis erit in eadem similiter ratione: Adeoq; ut medicamentum in ipsis diversi temperamenti Hominibus æqualiter operetur, propinandæ doses sanguinis Tenacitati proportionales esse debent, supponendo itidem sanguinem in utroq; pari Celeritate circuitum agere. Si vero sanguinis velocitas sit diversa medicamentorum operationes, b. e. Secretionum quantitas ab eis producta, erunt ut sanguinis Velocitas: Secretiones enim in qualibet Glandula, in dato tempore, sunt semper ut sanguinis quantitas quæ in eandem glandulam eodem tempore devehitur, b. e. ut ejus Velocitas Sanguinis etiam velocitas, ceteris paribus, semper se habet ut ejus Fluiditas, seu reciproce ut ejus Cohærentiæ gradus: Si igitur sanguinis Velocitas esset unice consideranda, hoc casu quantitas dosium ad eundem effectum producendum erit directe ut cohærentiæ gradus in partibus Sanguinis.

Prop. I.

In hominibus duobus æqualem sanguinis quantitatem habentibus sed Cohærentiæ gradibus differentiis, Medicamentorum Emeticorum & purgantium doses, ad eundem effectum eliciendum necessariae, sunt in duplicata ratione graduum cohærentiæ sanguineæ.

Ubi enim Sanguis eadem velocitate movetur, dosis quantitas ut cohærentiæ gradus sit oportet, & si gradus cohærentiæ essent iidem doses quantitas est reciproce ut velocitas; adeoque, ubi nec cohærentia nec velocitas sunt eædem, quantitas doses est in ratione composita ex directa ratione graduum cohærentiæ in Sanguine & reciproca velocitatis: Atqui reciproca

Ciprocca velocitatis ratio est directæ Tenacitatis vel cohærentiæ graduum rationi æqualis. Ideoq; Dosis quantitas est in ratione composita graduum cohærentiæ & graduum cohærentiæ, b. e. Doses propinandæ sunt in duplicata ratione eorumdem Q. E. D.

Prop. II.

Dosum quantitas hominibus diversæ quantitatis sanguinis exhibenda, qui simul diversis pollet Cohærentiæ gradibus, est in ratione composita ex ratione ponderis hominum & duplicata graduum Cohærentiæ.

Quum enim cohærentiæ gradus sunt iidem dosum quantitas est ut hominum pondus, & ubi hominum pondus est idem dosum quantitas est in duplicata ratione graduum cohærentiæ, adeoque, quum neuter est idem dosis quantitas est in ratione composita ex ratione ponderis hominum & duplicata graduum cohærentiæ. Q. E. D.

Coroll. Hinc Quantitatem & Qualitatem Sanguinis in quolibet homine scientes doses ad purgandum & vomendum necessarias non ita arduum est determinare. Hæc qualitas, seu Temperamentum, sanguinis a perito Medico ex Pulsibus Urina & aliis secretionibus facile invenitur ; adeoq; Medicus, observando quæ doses datæ constitutionis homines purgant, minimo negotio doses cuiilibet constitutioni vel Temperamento idoneas statuet.

Schol. Quæ hactenus in genere demonstrata sunt, ex vulgaris Medicorum circa Purgationem & Vomitionem Hypothesi eodem sequerentur pacto ; quoniam Dispositio, quam habent Ventriculus & Intestina ut stimulentur, est ut memorati quantitatis & Cohærentiæ in Sanguine gradus. Ita, vel ex illa Suppositione, Veritas hæc maxime constaret, licet postulati simplicitate destituitur, atq; ob id non adhibetur.

Londini, 4to Non. Febr. 1706.